

Illustrissimo Domino Dno

RICHARDO CROMWEL,

IN HONORATISSIMUM

CANCELLARII OXONIENSIS

Officium & Dignitatem fæliciter electo

Anno MDCLVII.

Carmen Onomasticon Gratulatorium.

RICHARDUS

R edde diem optatis, citò reddito Phœbe triumphis,
I ncedunt pigrè hic vel Phaetontis Equi:
C lara dies! Nova Lux! Academia reddita! forsan
H occe paroxysmum fert *Tremebunde*, Tibi:
A t bona verba, togam videas licèt atque Cucullum,
R eddat & Insignes coccina lana Patres:
D a Veniam, Cæsar, non formidabimus Umbras;
US que atque usque tremant, nos sumus Intrepidi.

CROMWELL

C hara Jovis soboles, quo nemo Serenior Alter
R ector, Tu Nobis Fautor, Apollo, Parens.
O men inest, avibusque bonis dignabere Munus,
M unus Honorantem non (nisi honore) gravans.
W allia Te agnoscit, magìs Anglia, dignus utrâque es;
E rigis hinc Almæ Matris ad astra caput.
L ibera nunc verè est Ars, atque scientia Athenis;
L ataque de cerebro est Nostra Minerva Tuo.

CANCELLARIUS.

C æsaris Augusti quota pars, quota portio famæ
A mplas quod Vatum provocet Ille tubas?
N ascimur indocti, & nisi Mecænatibus auctis
C ogimur inviti Sordidiora sequi:
E gregium præstes Te, (vir Mirande) Patronum,
L itterulis nostris undique crescet honos.
L argitor Quantus nobis OLIVARIUS Heros
A ltera posteritas, altera lingua dabit.
R egis & exemplo (sileat quod nulla Vetustas)
I pse libros * Miles (doctior ut sit) emit.
V estra ** coronato si jungas stemmata libro,
S eque Librumque Tibi dedicat Oxonium.

* Milites in Hibern'â qui bibliothecam epis. Armach: propriis sumptibus præsenti hoc anno redemerunt.
** Insignia Academiæ Oxon.

R. WHITEHALL A.M.
è Coll: Mert. Oxon. socius.